



Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

§. 7. Eadem tristitia ex mora beatitudinis piorum manium, dictis, atque ostentis comprobatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

gentes, & æternos; quia utrumque Virgineis oculis semper objectum, tenerrimum ejus cor eò tenerius affecit, quòd noxarum totius humani generis, & innumerabilium tartari mancipiorum supplicia, multitudine, & magnitudine prope immensa sunt, & utraque in damnatis æterna. Atque ita illud superius Bernardini dictum, licet fidem fortasse excedat, si præsertim, sic intelligatur, ut singulis momentis, tantum Beata Virgo passa fuisse dicatur, quantum sufficeret ad omnes res doloris capaces interimendas, tamen non omninò supra modum esse videbitur.

§. 7.

Eadem tristitia ex mora beatitudinis piorum manium, dictis, atque ostentis comprobatur.

141. *Mæror anime Comitum ob peccata damni.* NARRAT Blosius, vir in asceticis non obscuræ famæ, nonnulla, unde eadem veritas elucescit, quæ ego ipsiusmet verbis fideliter reddo. Anima cujusdam juvenis Comitum post mortem apparuit. Sanctæ Melchitildi, à quâ interrogata utrùm poenam aliquam sentiret, respondit se nullam poenam sentire, nisi quòd amantissimum Deum suum non videret, quem *ingenti, & ineffabili desiderio conspicere cupiebat.* Dicebat enim quòd anima mole corruptibilis carnis adhuc gravata multum impeditur necessitatibus corporalibus, nunc comedendo, nunc aliud faciendo, nunc cum hominibus conversando: sed anima pia, quæ corpore soluta est, quia Deum, summum bonum jam magis cognoscit, *inestimabili ejus flagrat desiderio.* Ita piissimus Præsul, qui statim addit ex eo desiderio dolorem emanare admodum gravem, & molestum: nec dubitabit, qui expendet illud desiderium *inestimabile* vocari: Cùm enim dolor desiderio adæquetur, conficitur & hunc omni nostrâ æstimatione esse graviorem. Cæterùm ita pergit.

142. *Mæror animarum.* Eadem Virgo Melchitildis aliquando spiritu perducta est in hortum amoenissimum, cælo vicinum. Ubi erat copiosa multitudo animarum, quæ non aliam poenam sustinebant, quàm vermem conscientie, unamquamque vehementer arguentis; quòd benignissimo, atque dulcissimo Deo suo fidelis non fuerat: unde, & ad eum post mortem sine impedimento pervenire non promeruerat. Qui quidem vermis animam non deserit, donec illa intret in plenum gaudium Domini sui. Ita ille. Quàm autem mordax sit, & atrox

ille conscientie vermis, atque jugis illa humanæ in dulcissimum Deum infidelitatis memoria, intelligi potest ex sævitie ejus vermis, qui mortales etiam insolentissimos ad laqueum, atque in malam crucem egit. Etsi enim horum conscientia scelerum, desperationi mixta sit, tamen nec jugis esse potest, nec tam liquida, nec tanti æstimare solet, aut etiam valet peccati gravitatem, vel damna, quanti pii manes. Certè novi ego hominem, qui licet divino lumine prorsus singulari illustratus, à nescio quo atheismi genere animum ad ferium Numinis cultum traduxerat, adeò cruciari conscientie tormento solitum per annos aliquot, ut cùm brachium luxatum, & loco summorum, jamque frigidum, ingenti, ut solet, cum dolore in suam cotilen denuò induci sensisset, cùm etiam aliàs ad extrema vi morbi redactus esset, & sacro oleo inunctus, tamen maluisse ea mala, quæ pertulerat, singulis momentis, quàm iisdem conscientie carnificinam perpeti.

Verùm necdum ipsæ animæ vita functæ nobis disertè significavere tristitiæ suæ magnitudinem. eam igitur illa nobis testetur quæ Joanni Fernandez è Societate JESU viro Apostolico spectandam se dedit, teste Nierembergio lib. 2. de Pulch. Dei, cap. 11. *Cùm ille ecstasim aliquando pateretur, visus est sibi in spatiosum, amoenissimumque hortum duci: ibi verdè animam conspexit veste adèd miri splendoris, artisque, & operis Phrygionici circumdatam, ut divinum ei aliquid inesse suspicaretur. Cùm autem ad eam propius accessisset, quare esset, suscitaretur: respondit hæc, sese de Societate JESU fuisse, nomènque suum indicavit. Tum Fernandez admirandus exclamavit, beu! inquit, haud dubidè illustrem gloriam assecuta es. At anima, excepit, adhuc me tenet acerbus dolor. En iste mihi locus purgandæ assignatus est: quod SS. Triadem, cuius tamen beneficio castitatis florem illibatum servavi, frigidè nimis dilexerim, propterea desideriorum flammâ successa hîc hæere cogor.*

Huc quoque spectat, & sententiam hætenus explanatam mirificè confirmat, quod in Insinuationibus Sanctæ Gertrudis commemoratur. Verba ipsa Authoris exscribo, nam pia simplicitate sua fidem merentur. *Orans, inquit de Sanctâ Gertrude, vice quadam pro animâ fratris Hermannii conversi, nuper defuncti, cùm perquireret à Domino, ubi esset: Dominus respondit, adest. Propter orationes enim, quæ modo pro eo devotissimè funduntur, advocavimus eum, ut aliquantisper epuletur nobiscum.*

144. *Mæror ingens Fr. Conversi.*

nobiscum. Hinc apparuit Dominus tamquam Pater-familias sedens ad tabulam, super quam videbatur presentari totum, quod pro animâ illâ fiebat in oblationibus, orationibus, desiderijs, & similibus. Apparuit etiam anima iam dicta, sedens in fine tabulæ mœrenti animo, & vultu deiecto, velut nondum purgata, nec digna, quæ iucunda contemplatione amabilis vultus Dei consolaretur. Videbatur tamen ex eo aliquantulum serenari, quod ex oblationibus supra dictis aliquid quasi vapor de calidis ferculis exiens, ad ipsam reflectebatur, unde mirificè recreabatur. Et post nonnulla sic author: Ex his omnibus, sed & maximè ex affectu supplicantiū de bonâ in horam semper amplius serenata, cepit magis, magisque convertere, & levare oculos ad iucundissimum lumen beatificantis Divinitatis, quod irreverberato intuitu aspexisse, est omnium gravaminum etiam memoriam veraciter deposuisse, & abundantiam bonorum æterna beatitudinis immarcescibiliter induisse. Ista verò quidem, quæ pro ipsa orabat, cum videret eam in tali statu quiescere, requisivit ab ea dicens, pro quâ culpâ, nunc maximè gravaris, & anima propter propriam voluntatem, & proprium consilium; unde & pro eo nunc tantum gravamen conscientia perfero, quod si in unum redigerentur omnium mortalium cordium gravamina, simile mihi non videretur illi, quod sentio. Tunc ista quali remedio posset tibi subveniri? & anima. Si quis cogitaret me pro his gravatam, & careret sibi à similibus, multum mihi gravamen allevaret. Hactenus Author. Unde colligere licet mirabilem pœnæ damni atrocitatem. Nam gravamen illud cordis, quod anima omnium mortalium gravamina excedere asserit, utique mœror animi est, ob noxam illam tenacioris voluntatis, ac iudicii, pertinētque ad pœnam damni, ut magis ex dicendis constabit.

§. 8.

Parænesis ad commiserationem animarum ob moram intuitus beatifici.

145. **E**QUIDEM ex dictis abundè colligi potest commiserationem piorum manium summam esse oportere, cum miseria vel ob solam damni pœnam summa sit. Sed & hoc non minus constare debet tantæ miseriæ mortalium misericordiam patrem esse non posse. Cum enim illa licet temporaria tantum Numinis jactura, mille, ac mille carissimorum capitum amissionem, imò mille, ac mille mundorum ja-

cturam superet, oporteret tantam excitari in nobis miserationem in unicum è piis manibus, quantam excitari par esset, si mille, ac mille mortales nobis amicissimi, conjugum, ac liberorum, & omnium facultatum jacturam facerent; quantumvis illæ Imperia, & Regna, imò, & mundos æquarent. Certè si singulorum pectus, tantorum affectuum capax esset, quantos universi regni alicujus incolæ, dum carissimum, præstantissimūque Regem, & alterum Josiam mors acerba vivis eripit, concipere soliti sunt: non existimo, vel tum singulos nostrum digna commiseratione hanc unicam damni pœnam unius animæ persecuturos. Quare neque Jeremiæ Vatis lacrymas super Jerosolymæ excidio, neque Salviani planctus super Imperii, Ecclesiæque Romanæ, & Africanæ extremâ clade, neque Mathiæ, ejusque filiorum quæstus, ac lamenta super legis, ac gentis Hebrææ exitio, neque verò alterius sancti viri, aut scemine, utcumque ad animi motiones facilis, commiserationem aliud esse arbitror, quam umbram ejus, qua digni sunt singuli manes ob tantam, tamque acerbam jacturam, quemadmodum omnis humana cogitatio, jacturæ piorum manium adumbratio tantum est.

Verum etsi par eorum miseriæ, misericordia nulla esse possit, concitanda tamen, & ad opem ferendam perducenda est, quanta hoc in orbe potest esse maxima. Sed multum peto: utinam saltem nos ipsi iis defunctis, quibus aliquo nomine obstricti sumus, particulam aliquam, vel opis, vel miserationis, quæ in miseros mortales in causâ omninò impari, sed non dissimili effundi solet, aliquando redderemus! Similis certè fuit piorum manium calamitati, orbitas primorum parentum ex Abelis carissimi filii nece à Caino fratre paratâ. Quippe miti, placidoque ingenio erat Abel, mente candidus, vultu verecundus, linguâ sincerus: insigni in parentem observantiâ, in matrem amore, in Deum religione. Contra Cainus indole asperâ, querulâ, intractabili, immergerâ, divinorum contemptrice. Quæ res parentis utriusque amorem in Abelem longo jam spatio, nempe centum, ac viginti novem annorum, quibus vixisse fertur Abel, vehementer amplificarat. Cum ergo Cain nefario scelere fratrem trucidavit, delicias suas, ac prope vitam parentibus eripuit: & Abel nominis sui propheticam, ac malè ominosam interpretationem implevit. Abel enim à Josepho, Eusebio, Origene, Hieronymo, Ruperto, luctus exponitur: Et certè Rabbini luctui

146.
Adhibenda
tamen si-
milis com-
miseratio-
ni in Abe-
lem mor-
tuum.